

DE DELICTIS CONTRA SANCTITATEM SACRAMENTI PAENITENTIAE

SUMMARIUM: Studium post notam introductoriā, quae agit de sanctitate tuenda Sacramentorum, etiam sub aspectu poenali, modo peculiari Sacramenti Paenitentiae, tractat, sive in praecedenti Codice sive in novo, tribus gressibus: De necessitate facultatis ad audiendas confessiones et de delictis contra violatores normarum, quae regulant hanc disciplinam (I); deinde de sigillo sacramentali ac de secreto servando quoad nota ex confessione (II), tandem de delictis sollicitationis, falsae denuntiationis atque absolutionis complicitis (III).

INTRODUCTIO

Omnibus sacramentis «cultus Deo redditur et hominum sanctificatio efficitur» (c. 840). Ideo «in iis celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ceteri fideles» (ib.). Ad hoc tendit, inter alia media, legislatio Ecclesiae, sive quoad Sacramenta in genere (cc. 840-848), sive quoad singula sacramenta in specie (cc. 849-1165). Peccata quae violant sanctitatem sacramentorum speciem sacrilegii prae se ferunt.

Sanctitatem sacramentorum tuetur Ecclesia etiam legibus poenalibus, in quantum huiusmodi legibus vel in lucem ponunt eminentem dignitatem sacramentorum vel fideles deterrent ut vitent quaedam pericula peculiaria graviora in administrandis vel recipiendis sacramentis. Legislatio poenalis respicit modo peculiari sacramenta quae propter momentum et propter usum frequentiore, fere in vita quotidiana, speciali consideratione indigent. Mentione sub hoc

aspectu digna sunt sacramenta Eucharistiae et Paenitentiae seu reconciliationis. Sanctissima Eucharistia est «augustissimum sacramentum» (c. 897), in quo «totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum ipso offerendos» (P.O. 5). Sub aspectu poenali Ecclesia punit delicta gravissima contra Eucharistiam cc. 1367 et 1378, par. 2,1.

Specialissima cura legislator ecclesiasticus tuetur sanctitatem sacramenti Paenitentiae, quo fideles obtinent reconciliationem «cum Deo et cum Ecclesia» (c. 960), remissionem peccatorum, quam Deus tantum concedere potest. Modo singulari legislatio Ecclesiae tendit ne sacramentum reconciliationis fiat, considerata fragilitate humana, occasio ad peccatum et damnationem.

Legislatio Ecclesiae tuetur sanctitatem huius sacramenti praeprimis requirens modo generali, et quidem ad validitatem eiusdem absolutionis sacramentalis, praeter sacerdotium (c. 965), facultatem peculiaris (c. 966), et punit illum qui «cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire attentat, vel sacramentalem confessionem audit» (can. 1378, par. 2,2 et par. 3).

Deinde c. 983 imponit obligationem servandi sigillum sacramentale et secretum atque c. 984 prohibet usum scientiae ex confessione acquisitae, cum poenitentis gravamine. Violationes harum obligationum constituunt delicta, de quibus in can. 1388.

Ne sacramentum Paenitentiae fiat occasio peccatorum, providet Ecclesia c. 1387, quo punit sacerdotes sollicitantes fideles ad turpia, et can. 977, prohi-

bens, sub poena invaliditatis, absolutionem complicitis in peccato contra sextum decalogi praeceptum, et puniens illum qui contra legis praescriptum agit (c. 1378).

Nostrum studium examinat delicta contra sanctitatem sacramenti paenitentiae. Non agitur de re omnino nova. Praecedens enim legislatio recipitur a novo Codice, paucis tantum mutationibus, quae tamen non magnum praeseferunt momentum, introductis.

Utilitas, immo fortasse necessitas huius studii, ex duplici capite deduci potest: ex una parte agitur de legislatione, de qua proh dolor! non amplius habetur sufficiens, quamvis minima, cognitio; ex altera autem parte novitates, quae habentur, quamvis paucae, attentione dignae sunt. Agemus praepremis de necessitate facultatis, deinde de sigillo et secreto; tandem de criminibus sollicitationis et absolutionis complicitis. Quoad singula capita, instituimus praepremis comparisonem cum praecedenti Codice; deinde animadversiones circa novam legislationem faciemus.

Antequam de singulis dicimus, opportunum ducimus quaedam generalia circa interpretationem legum poenalium tantum indicare:

1) Novo Codice abrogantur «leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in hoc ipso Codice recipiantur» (can. 6, § 1,3).

2) «Leges quae poenam statuunt...strictae sub sunt interpretationi» (can. 18).

3) Can. 1313 duas continet paragraphos. In § 1 sequentia legimus: «Si post delictum commissum lex mutetur, applicanda est lex reo favorabilior». In par. 2: «Quod si lex posterior tollat legem vel saltem poenam, haec statim cessat».

I. NECESSITAS FACULTATIS AD AUDIENDAS CONFES- SIONES

1. C. 965 in mentem revocat quod «minister sacramenti paenitentiae est solus sacerdos». Quidquid sit de confessionibus a diacono auditis¹, certum omnino est requiri ad validam remissionem peccatorum per ministerium Ecclesiae ordinem presbyteratus in ministro: sine sacerdotio non est possibilis remissio peccatorum in sacramento paenitentiae. Sed non sufficit sacerdotium. Requiritur praeterea, et quidem ad validam absolutionem peculiaris facultas, uti expresse legimus in can. 966: «Ad validam peccatorum absolutionem...exercendi». Haec facultas non confert potestatem remittendi peccata, quae iam habetur ordine sacro; sed habilem reddit sacerdotem ad liberum et validum exercitium eiusdem potestatis ordinis, uti manifeste eruitur ex textu canonis. Agitur de facultate «eandem (id est, potestatem ordinis) in fideles, quibus absolutionem imperitur, exercendi». Quod haec facultas concedatur per interventum specialem Auctoritatis ecclesiasticae competentis pendet sine dubio a dispositione positiva Ecclesiae. Nihil per se, theoretice loquendo, vetat quod huiusmodi facultas detur per ipsam sacram ordinationem².

2. Modi quibus haec facultas obtinetur sunt plures: enumerantur modo peculiari sub cc. 967-968. Praeterea addi debent casus de quibus in can. 144 et in can. 976. Amplius obtinet hodie spatium exercitii huius facultatis, vi eorundem canonum 967-968.

¹ Cf. CAPPELLO, F., *De Sacramentis*, II, Ed. 7a, Marietti, Roma 1963, nn. 272-274; COLOMBO, G., *I segni della fedeltà di Dio*, ed. LDC, Torino-Leumann, 1986, p. 51.

² Ita accidebat saltem in primo millennio; vestigium huius praxis habetur in ipsa liturgia ordinationis.

3. Quoad Codicem praecedentem plures habentur novitates, quarum tantum sequentes sufficit enuntiare: 1) facultas non amplius appellatur iurisdictio. Ideo non applicantur facultati ad audiendas confessiones normae de iurisdictione, nisi expresse dicatur in lege, uti fit e.g. in can. 144; 2) obtenta facultas, ad normam canonum et secundum eorum tenorem, exercetur vi legis et in quantum lex concedit, in universo orbe; 3) legislatio quoad donationem huiusmodi facultatum, sive ipso iure, sive concessione (c. 966, § 2) plures novitates continet; immo dicere possumus agi in casu de nova et integra ordinatione materiae.

4. Necessitas facultatis ad audiendas confessiones servat etiam hodie grave momentum ad tuendam sanctitatem sacramenti paenitentiae. Hoc apparet modo peculiari ex can. 978, §§ 1-2. Si confessarius agit «utpote minister Ecclesiae», haec per proprios representantes, debet cognitionem positivam habere de aptitudine sacerdotis ad audiendas confessiones. Non sufficit sacra ordinatio presbyteralis. Cum autem ipsa competens Auctoritas animadverterit ineptitudinem ministri, potest et debet, nonobstante indelebilitate sacri ordinis (cc. 290 et 1008) revocare ipsam facultatem.

Quoad modos quibus superior fieri potest certior de idoneitate ministri, c. 970 enuntiat examen, nisi «de eorum idoneitate aliunde constet». Nudum factum quod sacerdos expleverit studia necessaria ad sacram ordinationem, quamvis in facultatibus pontificiis, non videtur sufficiens ratio ad omittendum examen. Ceterum, superior competens semper potest, in proprio ambitu revocare facultatem, quamvis facere non debet «nisi gravem ob causam» (c. 974).

5. Absolutio data a sacerdote sine facultate non est tantum invalida, sed est etiam delictum. Immo

ipsa auditio confessionum ab huiusmodi sacerdote est delictum. Legimus enim in c. 1378, § 2,2: «In poenam latae sententiae interdicti vel, si sit clericus, suspensionis incurrit: ... 2^o qui, praeter casum de quo in § 1, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire attentat, vel sacramentalem confessionem audit».

1) Subiectum criminis, ex obvio tenore textus, esse potest quivis christifidelis, sive clericus sive non, uti manifeste et expresse dicitur. Nam poena pro christifidelibus non clericis praevisa est interdictum; pro clericis, est suspensio. Non autem esse potest christifidelis non catholicus, ad mentem can. 11; et adhuc minus homo non baptizatus, qui non est subditus legum ecclesiasticarum. Leges enim ecclesiasticae positivae respiciunt tantum fideles catholicos ad normam eiusdem canonis³.

Sed non desunt rationes dubitandi de hac obvia interpretatione: initium § 2 regit duos numeros. In numero primo sermo est de delicto qui committitur ab illo qui ad ordinem sacerdotalem non est promotus: laicus vel diaconus. Typificatio delicti ergo respicit modo explicito sive clericum, non sacerdotem, sive laicum. Quoad autem n. 2 sermo est de illo qui absolutionem sacramentalem dare non potest valide, et tamen attentat absolutionem vel audit confessionem.

Fontes huius legis sunt canones 2322, 1 et 2366 Codicis praecedentis. In can. 2322, 1 sermo de illo qui

³ Leges poenales enim sunt omnes qua poenales positivae. Cf. DE PAOLIS, V., *Aspectus theologici et iuridici in systemate poenali canonico*, in *Periodica* 1986, fasc. 1-2, pp. 221-254.

«ad ordinem sacerdotalem non promotus» est quique tamen «sacramentalem confessionem exceperit»; sed in can. 2366 sermo est tantum de sacerdote «qui sine iurisdictione praesumpserit sacramentalem confessionem audire».

Si comparisonem facimus, videmus quomodo «attentare absolutionem» est formula nova, quae non inveniebatur in praecedenti legislatione; dum «audire confessiones» habetur in can. 2366 et refertur tantum ad sacerdotem; non habemus autem formulam «excipere sacramentalem confessionem», quae habetur in can. 2322,1 quacque respicit illum qui non est promotus ad ordinem sacerdotalem.

Iam nunc in n. 2, § 2, c. 1378 videtur quaestionem esse tantum de sacerdote. Praeprimis fit remissio ad § 1, ubi explicite agitur tantum de «sacerdote». Praeterea quaestio est de illo qui «absolutionem sacramentalem dare valide» non potest. Expressio praesupponit quod ille habeat potestatem absolutionem dandi, sed non potest, et quidem sub poena nullitatis, quia caret facultate necessaria, sive habituali sive in actu concreto. Quoad laicum vel diaconum, formula sensum nullum haberet. Haec interpretatio firmatur per sequentem aliam formulam: «eam impertire attentat». Iam «attentatio» habetur tantum cum quis ponit actum, quem per se ponere potest, et quidem ponit, sed actus est invalidus, quia deestabilitas personae, propter impedimentum ab Ecclesia positum, vel est irritus, propter legem irritantem. In casu «attentare absolutionem» tantum sacerdos potest, quia tantum sacerdos habet potestatem dandi absolutionem. Sed si eam dat, cum carcat facultate necessaria, sive habituali, sive in casu concreto, e.g. quia dantur censurae, quae privant sacramentis (c. 1331, § 1), tunc sacerdos qui, nonobstante censura,

dat absolutionem, «attentat» tantum absolutionem, quia eam valide dare non potest (cf. c. 1357). Interpretatio ulteriorem firmitatem obtinet si legimus praecedentem redactionem, quae habebatur in schemate. In can. 55 sub § 1,2 legi poterat: «qui, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire se fingit». Hac formulatione includebatur etiam delictum absolutionis complicitis in peccato turpi, sive per ipsam absolutionem, sive per fictionem. Cum autem coetus modo specifico, ut infra videbimus, typificavit delictum absolutionis complicitis in § 1, tunc necessarium fuit mutare expressionem «vel fingit» in «attentat»⁴. Praeterea si ageretur de subiecto sine ordinatione sacerdotali, tunc quaestio esset de simulatione, de qua agit canon sequens, 1379. Si duae primae formulae respiciunt tantum sacerdotem tunc, deduci posse videtur quod etiam tertia formula respicit tantum sacerdotem. Subiectum enim sive attentionis sive auditionis est semper idem: ille non potest valide dare absolutionem. Ceterum in praecedenti codice formula respiciebat tantum sacerdotem (cf. c. 2366).

Conclusio nostra sequens est: subiectum delicti esse tantum sacerdotem, qui habet potestatem remittendi peccata, sed in casu non habet facultatem exercendi hanc potestatem, non potest absolutionem valide dare, et si dat, attentat, immo tantum audit confessionem. Subiectum enim sive «attentare», sive «audire» est semper idem: ille qui non potest valide dare absolutionem. Ratio cur aliquis sacerdos non potest dare valide absolutionem esse potest sive quia

⁴ Communicationes, 1977, p. 309s.

numquam habuit facultatem, sive quia facultas cessavit vel revocata est, sive quia non habetur in determinatas personas vel in determinato territorio, sive quia adest obex quae prohibet absolutionem sacramentalem et quidem ad validitatem et hoc sive habitualiter sive per modum actus.

2) Duo sunt delicta quae sacerdos in casu committere potest:

a) «attentare absolutionem» et «audire confessionem». Delictum attentatae absolutionis habetur cum quis audit confessiones et impertitur absolutionem formula, per se obiective valida, quae tamen in casu est inefficax propter obstacula;

b) «audire confessionem». Sufficit una tantum confessio. Si tamen eodem actu plures confessiones audiuntur, non videntur plura delicta committi. Delictum iam consummatum est cum incipit ipsam auditionem confessionis, id est peccatorum.

3) Poena quae praevidetur in c. 1378, § 2,2 est suspensio latae sententiae; attamen, addit par. 3 eiusdem canonis, «in casibus de quibus in par. 2, pro delicti gravitate, aliae poenae, non exclusa excommunicatione, addi possunt». Aliae poenae, si dantur, sunt ferendae sententiae. Ad applicandum hoc praescriptum tamen, c. 1349 in mente tenendus est. Quoad poenam suspensionis latae sententiae, prae oculis habendus est c. 1324, par. 3: Ubi dantur circumstantiae minuentes imputabilitatem, quovis modo et propter quasvis rationes, «reus poena latae sententiae non tenetur».

II. OBLIGATIO SERVANDI SIGILLUM SACRAMENTALE ET SECRETUM AC PROHIBITIO USUS SCIENTIAE ACQUISITAE IN CONFESIONE

Consideramus praeprimis leges quae imponunt vel determinant obligationes, deinde leges poenales quibus eadem obligationes sanctionibus muniuntur. Sed antequam de istis obligationibus loquimur, opportunum ducimus recolere quaedam essentialia elementa circa sigillum sacramentale, secretum servandum, et circa prohibitionem utendi scientia acquisita ex confessione cum gravamine paenitentis.

Doctrina quam Codex praesupponit et normae quas praebet nihil novi dicunt, nisi excipias verbum «sigillum» pro confessario tantum et verbum secretum pro aliis, in c. 893, relate ad praecedentem doctrinam et leges.

Distinctio fit inter obligationem servandi sigillum et prohibitionem utendi scientia acquisita ex confessione. Sub aspectu tamen practico distinctio non habet magnum momentum, quia sive obligatio servandi sigillum sacramentale, de qua in c. 983, sive prohibitio non utendi scientia acquisita ex confessione, de qua in c. 984, sunt absolutae, numquam admittunt exceptiones, quamvis adsint rationes gravissimae⁵.

Quoad obiectum sigilli sacramentalis Auctores distinguunt obiectum essenziale («id quod ex ipsa sua natura cadit sub sigillum») et obiectum accidentale. Obiectum essenziale aliud est directum, aliud est indirectum⁶.

⁵ CAPPELLO, o.c. (nota 1), nn. 583-629.

⁶ ID., nn. 599-600.

Constituunt obiectum directum «omnia peccata poenitentis, cum mortalia tum venialia, sive occulta sive publica, quatenus in ordine ad absolutionem manifestata ac proinde quatenus scientia sacramentali a confessario cognoscuntur»⁷. Constituunt autem materiam sigilli sacramentalis indirectam «omnia quae dicuntur ad peccata declaranda, sive in hunc finem necessaria sint sive solum utilia etiam superflua — nisi sint facta publice nota, etsi confessario vel aliis hucusque ignota»⁸. Obiectum autem sigilli accidentale «constituere possunt defectus sive animi sive corporis poenitentis, et peccata in ipsa confessione commissas»⁹.

Violatio sigilli sensu proprio habetur cum revelatur materia quae cadit sub lege sigilli et simul aliquo modo persona poenitentis, absque eius venia, si et quatenus haec concedi queat. Haec violatio esse potest directa et indirecta. Violatio sigilli directa habetur quando et peccatum in confessione accusatum et persona poenitentis perfecte manifestatur. Manifestatio tamen fieri potest expresse, sive explicitè sive implicite, sive ex adiunctis. Violatio autem indirecta habetur cum peccatum narratur sine aperta designatione personae, vel persona designatur sine peccati indicatione, sed cum periculo aut manifestandi personam, aut ingerendi suspicionem de persona eiusque peccato¹⁰.

Quoad prohibitionem usus scientiae acquisitae ex confessione agit c. 984. Differt a c. 983, in quantum in illo canone quaestio est de prohibitione revelandi sive

⁷ Id., n. 599.

⁸ Id., n. 600.

⁹ Id., n. 604.

¹⁰ Id., nn. 610-611.

directe sive indirecte peccata et personam penitentis cognita in sacramento poenitentiae. In c. 984 ex hypothese excluditur possibilitas revelationis, sive directae sive indirectae. Prohibitio fundatur tantum in eo quod usus scientiae acquisitae ex confessione constituit gravamen paenitentis, et periculum ergo continet ne christifideles a confessione arceantur.

Declaranda sunt verba «gravamen» et «paenitens».

«Nomine gravaminis hic intelligitur molestia, offensa, animi angor ex parte poenitentium: vox potius obiective quam subiective accipienda est, universim et in genere quoad omnes fideles paenitentes, non vero quoad unum alterumve dumtaxat; ideoque reductive ad ipsum poenitentiae sacramentum refertur, ne scilicet sacramentalis confessio nimis onerosa, molesta et ingrata fiat, ita ut ab eadem fideles arceantur»¹¹.

«Gravamen autem intelligendum est vel quo poenitens re vera formaliter experiatur vel quod connaturaliter experiretur si novisset usum istum scientiae esse factum»¹². Verba «cum gravamine poenitentis» non sunt accipienda solum de illo particulari poenitente qui revera confessionem sacramentalem instituit, sed de quovis poenitente indeterminate considerato, ne scilicet sacramentum poenitentiae valde onerosum ac molestum cuicumque poenitenti evadere possit, si sciverit licitum esse aliquando scientiae sacramentalis usum»¹³.

Fons c. 984 et respective c. 980 CIC 1917 est quaedam propositio damnata a S. Officio die 18 nov.

¹¹ Id., n. 611,3.

¹² VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, tomus II, ed. septima, n. 168.

¹³ CAPPELLO, o.c. (nota 1), n. 614,4.

1682. Sequens erat proposito: «Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo maius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito condemnatur. Addita deinde explicatione vel limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu sequeretur». Circa hanc propositionem statutum est: «dictam propositionem quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione»¹⁴.

C. 983 et c. 984 prohibent modo absoluto respective sive violationem sigilli sacramentalis sive usum scientiae acquisitae ex confessione, et quidem modo absoluto et sine exceptione, propter quamcumque rationem, quamvis gravissimam. Nullum malum tam grave cogitari potest quod liberet ab obligatione servandi sigillum et a prohibitione usus scientiae acquisitae ex confessione cum gravamine poenitentis, quamvis fundamentum et ratio sigilli et prohibitionis non sint eadem¹⁵.

1. *Obligationes*

In cc. 983 et 984 tres imponuntur obligationes: 1) obligatio servandi sigillum sacramentale; 2) obligatio servandi secretum; 3) obligatio non utendi scientia ex confessione. De istis obligationibus nihil novi, quod

¹⁴ Id., n. 614,5.

¹⁵ Id., n. 589 ss.

sit magni momenti, habetur. Sufficiunt pauca verba ad haec indicanda: comparisonem facimus inter praecedentem et novum Codicem. Pro aliis quaestionibus, et quidem magni momenti, remittimus apud probatos Auctores, quorum doctrina adhuc hodie valorem servat¹⁶.

1) Obligatio servandi sigillum sacramentale: can. 983, § 1.

a. C. 983, § 1 sequenti modo enuntiat obligationem servandi sigillum sacramentale: «Sacramentale sigillum inviolabile est; quare nefas est confessario verbis vel alio quovis modo et quavis de causa aliquatenus prodere paenitentem». In codice praecedenti enuntiatio habetur in can. 889, § 1: «Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem».

b. Mutationes introductae in novo Codice sunt paucae. Verba: «quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem» mutantur sequenti modo: «quare nefas est confessarius verbis vel alio quovis modo et quavis de causa aliquatenus prodere paenitentem». Mutatio maioris momenti habetur verbo «nefas» loco «caveat diligenter». Verbum «nefas» specialem relationem dicit Deo¹⁷. Sigillum in novo Codice adhibetur tantum ad exprimendam obligatio-

¹⁶ ID., nn. 583-613.

¹⁷ PINERO CARRION, J.M., *La ley de la Iglesia*, I, Ed. Sociedad de educación Atenas, Madrid, 1989, p. 153; «La gravedad del delito está suficientemente expresada con el termino «nefas-nefasto», que conleva una especial relación con lo divino».

nem, quam habet confessarius qua confessarius, non prodendi paenitentem, manifestando eius peccata. Confessarius audit peccata in foro Dei; Deus tantum remittit peccata, quamvis per ministerium Ecclesiae. Quod auditur in foro Dei semper manere debet in foro Dei. Numquam dari potest ratio quamvis gravissima quae permittat manifestationem in foro humano peccatorum quae paenitens confessus fuerit Deo in foro sacramentali. Agitur ergo de «sigillo inviolabili». Non agitur de lege humana ecclesiastica, sed divina. Non potest ergo dispensari¹⁸.

Aliae mutationes sunt potius redactionales: peccator appellatur simpliciter et melius paenitens: in confessione ipse non est peccator, sed peccator qui de propriis peccatis dolorem habet et propositum exprimit non amplius peccandi. Est potius paenitens.

2) Obligatio servandi secretum: c. 983, § 2.

a. Obligationem servandi secretum sequentibus verbis imponit c. 983, § 2: «Obligatione secretum servandi tenetur quoque interpret, si detur, necnon omnes alii ad quos ex confessione notitia peccatorum quoque modo pervenerit». In praecedenti Codice obligatio habetur in c. 989, § 2: «Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpret alii-que omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit».

¹⁸ WEIGAND, R. in HANDBUCH DES KATHOLISCHEN KIRCHENRECHTS, Ed. Pustet, Regensburg, 1983, p. 703), scribit: «Das Beichtgeheimnis ist unverletzlich (inviolabile). Die Kirche hat bisher nie davon dispensiert und kann (zum mindestens bei der gegenwärtigen Ausgestaltung des Bussakramentes) nicht davon dispensieren». In nota 50 animadvertit tamen quod datur disputatio circa fundamentum inviolabilitatis sigilli, an sit iuris divini necne.

b. Notitia peccatorum quae paenitens sacerdoti confitetur audiri potest ab aliis: sive quia paenitens utitur interprete (cf. c. 990) sive quia alii occasionaliter audiunt sive propter alias rationes: semper requiritur nexus inter cognitionem peccatorum et confessionem. Exinde praescriptum canonis: omnes ad quos «ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit» tenentur obligatione servandi secretum. Praecipua mutatio quae habetur est sequens: loco «sacramentale sigillum», quod habetur in praecedenti Codice, legimus «secretum» in novo Codice. Hoc modo distinctio clarissima fit inter secretum confessarii et secretum aliorum: secretum confessarii est «sigillum», quia novit peccata in foro Dei qua confessarius, id est minister Ecclesiae in foro Dei; secretum aliorum, est secretum, quod obligationem parit vi ipsius legis naturalis a lege ecclesiastica firmatae. Materia autem secreti et sigilli eadem est: mutat tantum subiectum; sacerdos in foro Dei; alii in foro humano.

Alia mutatio non magnum habet momentum: expressio «notitia confessionis» mutatur in alteram: «ex confessione notitia peccatorum». Haec altera est sine dubio aptior. Non est secreta notitia confessionis, sed notitia peccatorum ex confessione.

3) Obligatio non utendi scientia ex confessione acquisita: c. 984.

Duas continet prohibitiones c. 984: a) non utendi scientia ex confessione acquisita cum gravamine paenitentis; b) non utendi notitia de peccatis in confessione ad exteriorem gubernationem.

a. Prima obligatio imponitur sequentibus verbis c. 984, § 1: «Omnino confessario prohibetur scientiae ex confessione acquisitae usus cum paenitentis gravami-

ne, etiam quovis revelationis periculo excluso». In Codice praecedenti idem praescriptum habetur c. 890, § 1: «Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo».

Si daretur periculum revelationis tunc non esset quaestio de usu prohibito scientiae acquisitae ex confessione, sed potius de violatione ipsius sigilli sacramentalis. Obligatio non utendi scientia ex confessione acquisita imponitur in quantum et quatenus esset «cum paenitentis gravamine». Sed sensus huius formulae est amplissimus atque legendus est apud probatos Auctores¹⁹. Ceterum plures extant interven-tus Sedis Apostolicae, et modo peculiari Congrega-tionis Sancti Officii, qui sensum prohibitionis expla-nant²⁰.

Mutationes introductae in formulando novo ca-none nullum momentum habent; sunt simpliciter re-dactionales; loco «prohibitus est» habetur: «prohibe-tur». Ratio prohibitionis indicatur modo explicito in ipsa lege. Praeterea expressio «excluso etiam» fit «etiam excluso».

b. Secunda obligatio respicit superiores in exer-cendo proprio officio. Sequentibus verbis enuntiatur in § 2 eiusdem c. 984: «Qui in auctoritate est constitu-tus, notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernatio-nem nullo modo uti potest». In praecedenti Codice obligatio enuntiatur c. 890, § 2: «Tam superiores pro

¹⁹ Cf. CAPPELLO, o.c. (nota 1), nn. 614-618.

²⁰ RINCON, T., in MANUAL DE DERECHO CANONICO, EUNSA, Pamplona, 1988, p. 482.

tempore existentes quam confessarii qui postea Superiores fuerint renunciati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt».

Confessarius esse potest etiam superior, vel fieri potest superior. In officio exercendo atque in officio conferendo et in dispositiones vel ordines dando vel alia huiusmodi ipse non potest uti notitiis de peccatis ex confessione cognitis. Quoad sensum huius prohibitionis remittimus ad probatos Auctores²¹.

Nulla datur differentia inter novam et praecedentem redactionem. Quae habentur sunt tantum in ambitu styli. Formula «Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renunciati» mutatur in breviorum et simpliciorum «Qui in auctoritate est constitutus... quovis tempore excepta habuerit»; «possunt» mutatur in «potest» quia subiectum est singulare in nova redactione.

In hoc contextu intelligitur cur Codex, etiam novus (c. 985 et 630, § 4) prudentiam suadeat superioribus in audiendis confessionibus subditorum.

2. *Leges poenales*

1. Circa sigillum sacramentale: c. 1388, § 1.

C. 1388, § 1 sequentem legem poenalem continet: «Confessarius, qui sacramentale sigillum directe violat, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; qui vero indirecte tantum, pro delicti gravitate puniatur». In praecedenti Codice autem sequens est norma in c. 2369, § 1:

²¹ Cf. CAPPELLO, o.c. (nota 1), n. 623.

«Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1».

Quoad violationem directam sigilli novitas habetur ex mutationibus introductis in systemate poenali canonico. Mutationes verbales derivantur enim a mutationibus systematis poenalis in genere. Praeprimis non amplius habet sensum illa specialis formula «violare praesumpserit». Can. 2229, § 2 explicat quomodo illa formula eximat a poenis latae sententiae, cum detur «quaelibet imputabilitas imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis». Novum systema poenale continet principium generalius in c. 1324, § 3, quod statuit quamlibet imminutionem imputabilitatis eximere a poena latae sententiae.

Praeterea non amplius habetur systema reservationis poenarum tam complexum, cum pluribus subdistinctionibus (poenae reservatae, poenae nemini reservatae; poenae ordinario et poenae Sedi Apostolicae, simpliciter, speciali modo, specialissimo modo reservatae). In novo Codice habemus tantum normam c. 1354, § 3: «Si Apostolica Sedes poenae remissionem sibi vel aliis reservaverit, reservatio stricte est interpretanda»²².

Ex istis duobus novis principiis intelligitur redactio novae legis poenalis circa violationem directam sigilli sacramentalis. Si quis violat directe sigillum incurrit poenam excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae. Tamen reus non incurrit

²² Cf. DE PAOLIS, V., Le sanzioni nella Chiesa, in *La Scuola Cattolica*, 1984, 2-3, pp. 356-381.

hanc poenam, si datur quaedam circumstantia minuens imputabilitatem (c. 1324, § 3). Haec poena est reservata Sedi Apostolica; absolvi potest in casu urgenti ad normam can. 1357.

Quoad violationem indirectam poenae mitiores factae sunt in novo Codice: dantur tantum poenae indeterminatae et graduales, quamvis non facultativae. Servandum est praescriptum c. 1349²³. In praecedenti Codice statuuntur eadem poenae ac pro delicto sollicitationis, de quibus in c. 2368, § 1.

2) Lex poenalis circa secretum servandum: c. 1388, § 2.

Poena contra violantes secretum attinens sacramentum paenitentiae statuitur in c. 1388, § 2: «Interpres alique, de quibus in can. 983, § 2, qui secretum violant, iusta poena puniantur, non exclusa excommunicatione». Agitur de poena indeterminata ferendae sententiae obligatoria, non exclusa excommunicatione: «Quicumque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio». Differentia habetur tantum redactionalis: nullum influxum habet omissio adverbii «temere», cum simus in ambitu poenarum ferendae sententiae; etiam expressio «pro reatus gravitate» non est necessaria, quia delinquentes semper puniendi sunt pro reatus gravitate: agitur ergo de expressione superflua.

3) Quoad usum indebitum scientiae acquisitae ex confessione nulla habetur lex poenalis in iure

²³ DE PAOLIS, V., L'applicazione della pena, in *Monitor Ecclesiasticus*, 1989-I-II, pp. 69-94.

universali. De facto est fere impossibile punire viatores huiusmodi legis, quia non potest percipi et determinari haec violatio.

4) Opportunum est mentionem facere de decreto Congregationis pro Doctrina Fidei: «Congregatio pro Doctrina Fidei, ad sanctitatem sacramenti Poenitentiae tuendam et ad eiusdem ministrorum ac christifidelium iura munienda quae ad sacramentale sigillum attinent et ad alia secreta cum Confessione connexa, vigore specialis facultatis sibi a Suprema Ecclesiae auctoritate tributae (can. 30), decrevit: Firmo prescripto can. 1388, quicumque quovis technico instrumento ea quae in Sacramentali Confessione, vera vel ficta, a se vel ab alio peracta, a confessario vel a poenitente dicuntur, captat, aut communicationis socialis instrumentis evulgat, in excommunicationem latae sententiae incurrit».

Decretum confirmat precedentem Declarationem, quae cum novo Codice non amplius iam vigorem habebat circa eandem materiam. Agitur de decreto generali legislativo vi mandati Summi Pontificis, uti resultat a citatione can. 30. Agitur de nova vera lege poenali, non proprie de interpretatione. Hoc decretum, uti legimus, «vigere incipit a die promulgationis»²⁴.

III. CRIMEN SOLLICITATIONIS ET CRIMEN ABSOLUTIONIS COMPLICIS: cc. 1387 et 1378, § 1.

Nuc agendum est de duobus criminibus gravissimis. Antequam de singulis agamus, quaedam genera-

²⁴ Textus Decreti invenitur in AAS, 1988, p. 1367. Praecedens autem Declaratio in AAS, 1973, 678. Haec declaratio dubia suscitaverat quoad interpretationem.

lia communia iisdem sunt praemittenda, sive circa obiectum sive circa fontem, sive circa Dicasterium competens.

1. Obiectum

Ambo respiciunt peccata contra sextum decalogi praeceptum: agitur de delicto contra sollicitantes ad turpia in ambitu confessionis et de delicto quod committitur a confessario in absolvendo proprio complice in re turpi. Nonnullis hoc mirum videtur; ipsi malint quod vel aboleantur haec delicta vel eius ambitus extendatur ad omnia peccata, praesertim quoad delictum absolutionis complicitis. Delimitare obiectum tantum quoad res turpes non amplius consonare videtur mentalitati hodiernae; peccatum contra sextum non esse gravius quam peccata contra alia praecepta. Sed Coetus primum et deinde Commissio noluerunt modificare obiectum²⁵. Ius poenale enim non intendit praeprimis indicare maiorem vel minorem gravitatem peccatorum, sed attentionem praestat illis quae accidunt in vita ordinaria et periculum constituunt pro disciplina ecclesiastica. Iam nunc vita quotidiana demonstrat quomodo fragilitas humana suam habeat expressionem quotidianam et periculosam modo peculiari contra disciplinam ecclesiasticam et sanctitatem sacramentorum praecise in ambitu sexti decalogi praecepti.

²⁵ Communicationes, 1983, II, p. 210: «De unico peccati typo mentio in textu fit, ideoque proponitur ut dicatur «absolutio complicitis in quocumque peccato gravi invalida est, praeterquam in mortis periculo» (Alter Pater). R. Admitti nequit: non adsunt eadem rationes pro aliis peccatis et nimis libertas paenitentis limitaretur». In Const. Benedicti XIV, ex qua canon C.I.C. desumptus est sermo tantummodo fit de peccato contra sextum».

2. Fontes

Delicta, de quibus agimus, disciplinam obtinuerunt antiquissimam in Ecclesia. Sed Summus Pontifex Benedictus XIV ultimus, confirmans constitutiones praedecessorum, materiam iterum ordinavit constitutione «Sacramentum Poenitentiae», 1 junii 1741. Haec constitutio recipitur ab ipso Codice anni 1917, servans proprium valorem. Canones remittunt simpliciter ad Constitutionem. Quoad delictum sollicitationis c. 904 explicite ad eam remittit; et can. 2368, qui poenas statuit remittit ad can. 904. Quoad crimen absolutionis complicitis remissio ad constitutionem habetur in can. 884. Praeterea plures habentur intervenus Sedis Apostolicae circa haec duo delicta, praesertim ex parte Congregationis S. Officii.

In novo Codice non amplius fit mentio huiusmodi constitutionis, neque amplius continetur eius reimpressio in textu Codicali. Praeterea formulatio legislationis nova non semper eadem est ac praecedens: nonnullae mutationes introducuntur. Quomodo sunt interpretandi novi canones? Secundum principia generalia, de quibus iam aliquid supra diximus. Dicendum est Constitutionem Apostolicam Benedectinam non amplius habere valorem legalem, cum non amplius recipiatur a Codice neque de eadem mentio fiat (cf. c. 6, § 1, 3). Nova legislatio interpretanda est ad normam c. 17; et in quantum sunt leges poenales, ad normam c. 18. In quantum quaedam mutantur valet c. 1313. Sed quatenus canones «ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita» (c. 6, § 2)²⁶.

²⁶ «El CIC la (constitutio benedictina) reitera, aunque con algunos significativos retoques tanto en la parte sustantiva como en la penal» (MANZANARES, J., in *Nuevo Derecho parroquial*, BAC, Madrid, 1988, p. 286).

3. Quoad dicasterium competens, delicta de quibus agimus sunt de competentia Congregationis pro doctrina fidei et morum, praecise quia tangunt modo peculiari mores in ambitu disciplinae ecclesiasticae. Talem competentiam etiam hodie servat Congregatio vi constitutionis Pastor Bonus²⁷, sive modo generali vi n. 48 sive, modo specifico, vi n. 52: «Delicta contra fidem necnon graviora delicta tum contra mores tum in sacramentorum celebratione commissa, quae ipsi delata fuerint, cognoscit atque, ubi opus fuerit, ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas ad normam iuris, sive communis sive proprii, procedit». Agitur de delictis Congregationi pro Doctrina fidei reservatis, de quibus loquitur c. 1362, §§ 1, 1, quorum actio criminalis non extinguitur triennio.

1. *Crimen sollicitationis ac delictum falsae denuntiationis: c. 1387 et c. 1390*

Crimen sollicitationis tractandus est simul cum delicto falsae denuntiationis, quia habent relationem inter se. Ambo delicta examinanda sunt sive in praecedenti Codice sive in novo. De istis delictis dicendum est de ipsa typificatione, deinde de poenis statutis.

1) Crimen sollicitationis: c. 1387.

A. Typificatio

a. In praecedenti Codice anni 1917 de huiusmodi delicto statuit c. 2368, qui tamen remittit ad c. 904, qui ex parte sua remittit ulterius ad constitutionem benedictinam. In hac constitutione invenienda est

²⁷ NAVARRETE, U., Commentarium in Motu Proprio Integrae servandae, in *Periodica* 1966, pp. 614-652.

typificatio delicti sollicitationis. Iam nunc legimus in hac constitutione praeprimis rationes legislationis: «Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem Sanctae Ecclesiae Dei retinendum, intersit, ne aliqui sacerdotes Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino praesides, et iudices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio... committimus et mandamus... locorum Ordinariis... ut diligentes... inquirant, et procedant»²⁸. Sequitur descriptio delicti: «contra omnes, et singulos sacerdotes tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeminentiae, aut quovis privilegio, et indulto munitos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam,

²⁸ Constitutio Benedicti PP. XIV «Sacramentum Poenitentiae, n. 1.

tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint...»²⁹.

Quoad plenam intelligentiam huius delicti, remittimus ad probatos Auctores³⁰. Etiam quoad posteriores interventus Sanctae Sedis remittimus ad fontes³¹.

b. In novo Codice invenimus autem descriptionem delicti in ipso canone, id est in c. 1387: «Sacerdos, qui in actu vel occasione vel praetextu confessionis paenitentem ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptu sollicitat, pro delicti gravitate...».

Quoad hunc textum, sequentia sunt animadvertenda:

a) Nulla fit remissio ad constitutionem benedictinam, de qua locuti sumus.

b) descriptio delicti apparet brevior; plures circumstantiae quae enuntiantur in constitutione benedictina non apius habentur in novo textu; servatur tamen semper nexus cum sacramento paenitentiae. Non videtur sub hoc aspectu aliquid novum haberi in nova redactione. Delictum manet immutatum; intelligendum est ad normam c. 6, § 2, id est ad mentem constitutionis benedictinae³².

c) Verbum «sacerdos», quo determinatur subiectum delicti, intelligitur quivis sacerdos, etiam fortasse

²⁹ *Ib.*

³⁰ Vide CAPPELLO, o.c. (nota 1), nn. 430-462; VERMEERSCH-CREUSEN, o.c. (nota 12), nn. 187-190.

³¹ Vide in Auctoribus citatis sub nota praecedenti. Praeterea cf. MANZANARES, J., in *Nuevo Derecho Parroquial*, o.c. (n. 26), p. 288.

³² Cf. ARIAS, J., in *Commentario can. 1387* (Codigo de derecho canonico, EUNSA, 2a ed., Pamplona, 1987); NIGRO, in *commentario ad can. 1387* (Commento al Codice di diritto canonico, Urbaniana Press, 1985).

dignitate episcopali ornatus³³, quamvis sine facultate audiendi confessiones³⁴.

B. Poenae statutae contra delinquentes.

a. In Codice praecedenti statuuntur c. 2368, § 1: «Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiciatur».

Poenae sunt plures; sed omnes ferendae sententiae. Prima, is est suspensio ab audiendis confessionibus, est determinata et obligatoria. Aliae sunt determinatae, sed sunt graduales et secundum gravitatem delicti: comprehendunt diversas species poenarum, omnes vindicativas. Gravissima poena praevidetur ipsa degradatio.

b. In novo Codice poenae statuuntur in c. 1387: «...pro delicti gravitate, suspensione, prohibitionibus, privationibus puniatur, et in casibus gravioribus dimittatur e statu clericali».

Etiam in novo Codice omnes poenae sunt ferendae sententiae. Praeter suspensionem, quae est semper in novo Codice poena medicinalis (c. 1333), aliae sunt omnes expiatoriae (vindicativae). Sunt etiam

³³ CHIAPPETTA, L., *Il Codice di diritto canonico*, ed. Dehoniane, Napoli, 1988, vol. II, p. 516, n. 4507. Contra autem NIGRO, o.c., (n. 32), in commentario ad can. 1387: «In forza del principio ermeneutico che impone l'interpretazione ristretta delle norme penali, sono da escludersi i Vescovi».

³⁴ ARIAS, *commentarium in can. 1387*, in *Codig de derecho canonico*, o.c. (n. 32).

obligatoriae, eo sensu quod reus puniri debet; sed non omnibus poenis indicatis: omnes ponuntur sub formula «pro delicti gravitate». Pendet ergo a superiore determinare vel a iudice quaenam poena adhibenda sit aptior in casu, secundum gravitatem delicti, quae gravitas sive obiective sive subiective metienda est. Criteria invenit auctoritas competens in cc. 1341-1353³⁵.

Quoad dimissionem e statu clericali, c. 1317 decernit quod tantum lege universali potest statui huiusmodi dimissio, quae praeterea facienda est semper via iudiciali, ad normam c. 1342, § 2.

2) Delictum falsae denuntiationis: c. 1390.

Etiam circa hoc delictum loquendum est de typificatione et de poenis statutis, sive in praecedenti, sive in novo Codice.

A. Typificatio delicti et poenae statutae

a. In Codice piano benedictino 1917

Codex pianus benedictus imponit obligationem denuntiandi auctorem sollicitationis et eodem tempore punit illum qui falso denuntiat confessarium.

a) Obligatio denuntiandi confessarium sollicitantem imponitur c. 904: «Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum Poenitentiae, 1 iunii 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem, monere». In constitutione benedictina

³⁵ Cfr. DE PAOLIS, V., L'applicazione della pena canonica, in *Monitor Ecclesiasticus*, 1989, I-II, pp. 69-94.

obligatio imponitur sequentibus verbis: «Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, iuxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi...personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertientiam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluerit, aut sollicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant»³⁶.

b) Legislator ecclesiasticus autem scit etiam pericula quae haec obligatio continere potest. Malitia humana est enim sine limitibus. Inter haec eminet periculum falsae denunciationis, in odium ipsius confessarii. Periculum est eo maius quod confessarius fortasse se defendere non potest modo adaequato, cum vinculum habeat sigilli sacramentalis. Haec pericula iam vidit constitutio benedictina, quae sequentia continet: «Et quoniam improbi quidem homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo

³⁶ Cost. Benedictina, § 2.

incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tamen detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceantur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito praeterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat»³⁷.

Rigor constitutionis benedictinae, quamvis mitigatus, servatur adhuc in Codice 1917, c. 894: «Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos».

Descriptio autem huius delicti habetur in c. 2363: «Si quis per se ipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retraverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 804».

b. In Codice 1983

a) In novo Codice non amplius recensetur obligatio denunciandi confessarium sollicitantem. Quae-

³⁷ Cost. Benedictina, § 3.

mota est inter Consultores in ipso coetu, cum de can. 904 CIC 17 discussio facta est. Sequentia legere possumus: «Unus Consultor aestimat quod retineri non debet: confessarius non potest obligare ad denuntiandum, sed monere, consulere tantum. Alter Consultor loquitur de difficultate obtinendi denuntiationem. Relator respondet quod non sunt miscenda quae ad forum conscientiae et quae ad forum sociale pertinent. Concordant omnes ut supprimatur canon, quia est quaestio theologiae moralis.

Iuxta alicuius Consultoris sententiam obligatio ex parte paenitentis accusandi sacerdotem reum de sollicitatione non habetur et quaerit num necessarium sit ut haec obligatio adiungatur. Consultor, a quo quaestio mota est, anceps est quia revera causa, qua requirebatur canon, non cessavit, sed tamen Sacra Paenitentiaria Apostolica nihil hac de re in suis animadversionibus notavit. Unus Consultor tenet necessarium non esse obligationem denuntiationis adiungere, cum ablata sit reservatio peccati falsae denuntiationis de sollicitatione, sed anceps manet. Etiam alii Consultores ancipites sunt, et omnes conveniunt ut res denuo consideretur»³⁸. De facto res non amplius resumpta est. Mentio ergo de obligatione denuntiandi confessarium sollicitantem non amplius habetur in Codice. Confitendum est rationes adductas a Consultoribus in Coetu non eminere claritate.

b) Manet autem delictum falsae denuntiationis. Codex illud considerat sive sub aspectu peccati, quod in sacramento reconciliationis manifestatur, sive sub aspectu delicti.

³⁸ Communicationes, 1978, I, p. 65. Ratio silentii est quod agitur de materia pertinenti potius ad theologiam moralem (cf. RINCON, T., in *Manual de derecho canonico*, o.c. (n. 20), p. 482.

Sub aspectu peccati agit c. 982: «Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiasset de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit et paratus sit ad damna, si quae habeantur, reparanda».

Sub aspectu delicti tractat c. 1390, par. 1: «Qui confessarium de delicto, de quo in can. 1387, apud ecclesiasticum superiorem falso denuntiat, in interdictum latae sententiae incurrit et, si sit clericus, etiam in suspensionem».

B. ANIMADVERSIONES

Non possumus singulas mutationes examinare. Hoc relinquimus lectori benevolo. Tantum quasdam animadversiones generales considerationi proponimus.

a. Denuntiatio.

a) Non amplius imponit Codex obligationem denuntiandi confessarium sollicitantem. Nulla lex datur positiva quae hoc faciat. Ex eo autem quod adhuc datur delictum sollicitationis et delictum falsae denuntiationis, concludere debemus quod adhuc datur denuntiatio. Haec autem denuntiatio esse potest sive quia christifidelis ius habet semper denuntiandi apud auctoritatem competentem ministros qui non adimplent ad normam legis, sive divinae sive humanae, proprium officium, sive quia esse potest obligatio iuris naturalis denuntiandi apud auctoritatem competentem facta quae scandalum praebent et periculum constituunt bono animarum. Sed iudicium proferre de hac possibili obligatione non est facile. Non videtur posse confessarius imponere hanc obligationem, nisi

certo omnino constet hoc esse necessarium neque aliud remedium dari atque esse unicum remedium ad scandala vitanda et pericula bono animarum vitanda. Difficulter concipi potest quod negetur absolutio ex eo quod christifidelis poenitens non vult confessarium sollicitantem denuntiare.

b) Haec denuntiatio non est actio qua denuntians ius habeat ut instauretur processus contra delinquentem. Est simplex manifestatio facti apud Auctoritatem competentem, quae sua discretionem procedit, adhibendo media aptiora, secundum proprium iudicium.

c) Cum sit denuntiatio libera non videtur requiri peculiaris formalitas ad illam faciendam: sufficit quod Auctoritas competens sciat factum sollicitationis, ut opportuna remedia adhibere possit, et quidem motu proprio. Denuntiatio autem non est facienda modo anonimo. Huiusmodi denuntiatio nullius est valoris neque ullum momentum ei tribuendum est.

b. Delictum falsae denuntiationis.

Hoc delictum habetur tantum si denuntiatur «confessarius», non ergo sacerdos, qui caret facultate audiendi confessiones.

Denuntiatio debet esse falsa, id est non respondere veritati. Sufficit quod fiat «apud ecclesiasticum Superiorem», sive sit iudex sive non. Denuntiatio nullam peculiarem formalitatem exigit: fieri potest scripto vel oraliter. Formalitates necessariae esse possunt si fit apud iudicem ecclesiasticum³⁹.

³⁹ Non univoce loquuntur Commentatores de necessitate formalitatum. Cf. ARIAS, in *Código de derecho canonico*, o.c., commentarium ad can. 1389 tenet denuntiationem formaliter factam coram superiore, et efficacem esse debere; aliter censet PINERO, *La Ley de la Iglesia*, II, o.c., (n. 17), p. 152, d.c.; et aliter

Poenae est mitis: interdictum latae sententiae pro omnibus christifidelibus; si denuntians est clericus, tunc additur etiam suspensio latae sententiae.

c. Absolutio falso denuntiantis.

Huiusmodi peccatum non amplius est reservatum. Ratio habetur in eo quod non amplius viget in codice institutum reservationis peccatorum «ratione sui»⁴⁰.

Si delinquens tamen delictum commiserit atque in poenam interdicti incurrerit, ad mentem c. 1390, tunc paenitens non potest licite et valide absolvi, antequam tollatur censura interdicti, quod secumfert prohibitionem recipiendi sacramenta, etiam paenitentiae (c. 1332). Confessarius qui nullam peculiarem facultatem habet, praeter facultatem audiendi confessiones, potest illum absolvere tantum in periculo mortis (c. 976) vel in casu urgenti (c. 1357).

Sed in omni casu, praescindendo a quaestione de censura, confessarius non potest paenitentem absolvere a peccato «nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit et paratus sit ad damna, si quae habeantur, reparanda». Retractatio requiritur ante absolutionem. Haec dari potest tantum in casu extremi periculi mortis cum tempus non datur retractioni. Difficile est quod non sit possibilis retractatio. Haec retractatio esse debet formaliter facta: id est probari debet foro externo ita ut efficax sit medium ad restaurandam bonam famam. Praeterea requiritur

MANZANARES, J., in *Nuevo Derecho parroquial*, o.c. (n. 26), p. 289; aliter NIGRO, in *Commento al Codice di diritto canonico*, o.c. (n. 32), in *commentario ad can. 1390*.

⁴⁰ Cf. DE PAOLIS, V., *Le Sanzioni nella Chiesa*, in *Il nuovo Codice di Diritto Canonico. Studi ELLE DI CI*, Leumann-Torino, 1985, pp. 242-267.

etiam disponibilitas ad damna reparanda, si quae habita fuerint. Absolutio data in hoc casu non est dicenda condicionata, sensu vero, sed absoluta⁴¹. Tamen si haec disponibilitas non datur, confessio esse potest invalida propter deficientiam necessariae dispositionis poenitentis. Si tamen postea haec disponibilitas non fuerit ad actum deducta confessarius debet poenitentem reprehendere et, si necessarium, ei denegare absolutionem.

2. *Crimen absolutionis complicitis in peccato turpi*

Videmus praeprimis legislationem Codicis 1917, deinde novi Codicis. Tandem concludimus nonnullis animadversionibus.

1) Legislatio CIC 1917.

a. prohibitio audiendi confessionem complicitis: c. 884.

Codex 1917 enuntiat prohibitionem absolventi proprium complicitem in peccato turpi c. 884, remittens ceterum ad constitutionem benedictinam: «Absolutio complicitis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum et nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum Poenitentiae...». Opportunum ducimus recolere formulationem quam invenimus in constitutione citata: «Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii, et sacri tribunalis

⁴¹ Absolutio in casu non est dicenda «condicionata», sensu proprio. Non videtur probari posse quod scribit RINCON in *Manual de derecho canonico*, o.c. (n. 20), p. 482.

sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae iniuriam longe submovere, et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere...auctoritate Apostolica, et Nostra potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complici in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ad huiusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has Nostras adimere intendimus»⁴².

Codex 1917 c. 884 quamdam mitigationem iam attulit disciplinae constitutionis benedictinae. Legislatio c. 884 distinguit duas situationes: situatio in periculo mortis et situatio extra periculum mortis. Extra periculum mortis absolutio complicitis illicita et invalida est; in periculo mortis, est valida semper; licita autem tantum in casu necessitatis.

b. Delictum absolutionis complicitis: c. 2367.

«§ 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua

⁴² Cost. Benedictina, n. 4.

exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

«§ 2. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo se gerit, quia id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est».

Rigor legis aggravatus est per interventum ulteriorem Congregationis S. Officii, die 16 nov. 1934, qui notionem complicitatis sensu ampliore accipit. Dubio «An inter inducentes, de quibus in can. 2367, § 2 Codicis I.C., adnumerandus etiam sit confessarius qui, sive intra, sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum, eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem, sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere, responsum dedit «Affirmative, facto verbo cum SS.mo»⁴³.

Clarissimus VERMEERSCH sequenti modo determinat notionem complicitatis: «Complicitas habetur cum sacerdos et altera persona, utriusque sexus, simul conscii gravitatis culpa alterius consentiunt in peccatum externum, grave etiam qua externum, in se libidinosum. Si persona quacum sacerdos peccat ipsa leviter tantum vel nullo modo peccaverit, quia credit complici asserenti turpia inter se patrandi non esse peccatum, saltem grave, complicitas stricto sensu non habetur»⁴⁴. Ex hoc, idem illustris Auctor prosequitur:

⁴³ CAPPELLO, De Sacramentis, o.c. (n. 1) n. 423, p. 388.

⁴⁴ VERMEERSCH-CREUSEN, Epitome iuris canonici, tomus III, ed. sexta, Romae 1946, n. 570.

«communis ... sententia ... censebat non contrahi excommunicationem quando sacerdos paenitentem persuaserat turpia inter se committenda non esse ullum vel saltem grave peccatum»⁴⁵. Ratio in promptu videbatur, deesse nempe in casu complicitatem in gravi peccato. Responsum Congregationis S. Officii, notat CAPPELLO, «mutat doctrinam antiquam, cum sit declaratio vere extensiva seu nova lex; ideoque addita verba: «facto verbo cum SS.mo»⁴⁶.

2) Codex 1983.

a. Prohibitio absolvendi complicem: c. 977.

Novus codex renovat prohibitionem absolvendi proprium complicem in peccato turpi. C. 977 statuit: «Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis». Ad intelligendum sensum canonis, opportunum est referre responsum quod dedit Commissio cuidam Patri. Quaestio erat: «In peccato gravi contra sextum: estne haec inhabilitas perpetua? Quid si complex iam ab alio confessore absolutus, postea confiteatur alia peccata sacerdoti complici»; responsum fuit: «Consulantur manuales»⁴⁷. Id est doctrina tenet complicem posse propria peccata confiteri sacerdoti complici, etiam peccatum complicitatis, dummodo hoc peccatum non constituat materiam necessariam confessionis, id est fuerit iam ab alio confessario absolutum vel etiam modo licito in periculo mortis⁴⁸.

⁴⁵ *Ib.*

⁴⁶ CAPPELLO, De Sacramentis, o.c. (n. 1) p. 388.

⁴⁷ Communicationes, 1983, II, p. 210.

⁴⁸ Cf. PINERO CARRION, La ley de la Iglesia, II, o.c. (n. 17) p. 151, d-c.

Sublineare deinde iuvat quod prohibitio mitior facta est quam in praecedenti Codice, quia in periculo mortis semper licita et valida est absolutio data complici.

b. Delictum absolutionis complicitis: c. 1378, § 1.

Novus Codex non amplius describit delictum complicitatis pluribus determinationibus, prout habebatur in praecedenti Codice. C. 1378, § 1 remittit tantum ad c. 977: «Sacerdos qui contra praescriptum can. 977 agit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit». Quandonam habetur huiusmodi delictum? Responsum obvium est: cum datur absolutio proprio complici, contra praescriptum c. 977. Ad melius rem intelligendam opportunum est referre etiam iter redactionis huiusmodi delicti. In c. 55, § 1,2 schematis anni 1973 sequens norma tantum legi poterat: «In poenam latae sententiae interdicti, vel si sit clericus, suspensionis, incurrit: ... qui, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire se fingit vel sacramentalem confessionem audit»⁴⁹. Quoad hanc formulationem, legimus in Periodico Communicationes: «Nonnulli conquesti sunt eo quod delictum absolutionis complicitis in peccato turpi non distincte configuratum sit; norma enim § 1, n. 2^o generaliori modo redacta est ita ut, vi ipsius, etiam reus absolutionis complicitis puniatur, si, in parte de sacramentis, specialis norma habeatur, quae talem absolutionem invalidam declaret. Haec redactio normae, quae sufficiens videtur, si ad technicam iuridicam attenditur, non placet quibusdam Consultoribus, qui potius in luce ponunt valo-

⁴⁹ Cf. Schema Documenti quo disciplina sanctionum seu poenarum in Ecclesia latina denuo ordinatur (Reservatum), Typis poliglottis Vaticanis, 1973.

rem paedagogicum, qua propter petunt ut expresse typificetur delictum absolutionis complicitis in peccato turpi. Post aliquam discussionem etiam alii Consultores concordant circa opportunitatem talis typificationis. Quod attinet autem ad poenam statuendam contra reos huius delicti, aliquis Consultor proponit ut detur poena excommunicationis latae sententiae. Alii Consultores assentiunt huic propositioni⁵⁰. Hoc modo introducta est § 1, quam hodie legimus in can. 1378.

Ex hac brevi historia et ex ipso textu manifeste apparet legislatorem voluisse simplificare et mitigare disciplinam circa hanc materiam. Ideo non amplius fit quaestio de fictione absolutionis, vel de inductione ad non confitendum peccatum sive directe sive indirecte, neque de interpretatione ampliore Congregationis S. Officii.

c. Animadversiones.

Commentatores novi Codicis non semper advertunt novitatem et repetunt simpliciter praecedentem normativam⁵¹. Alii ne problema quidem ponunt⁵². Alii autem novitatem sublineant, cum affirmant quod ad delictum huiusmodi committendum requiritur quod subiectum activum sit sacerdos cum facultate, saltem supplita, audiendi confessiones; quod delictum consummetur per factum ipsius absolutionis, quamvis

⁵⁰ Communicationes, 1978, II, p. 309s.

⁵¹ Cf. STRIGL, R.A., in Handbuch des katholischen kirchenrechts, o.c. (n. 18), p. 942, nota 1.

⁵² CHIAPPETTA, L., Il Codice di diritto canonico, o.c. (n. 33), commentarium ad canonem 1378. NIGRO, in Commento al Codice di diritto canonico, o.c. (n. 32), commentarium ad can. 1378; ARIAS, J., in Código de derecho canónico, o.c. (n. 32) commentarium ad can. 1378.

invalidae; quod tandem poenitens non sit in periculo mortis constitutus⁵³.

Quoad subiecta comprehenduntur etiam Episcopi? Si consideramus praecedentem legislationem, sine dubio; sed si consideramus quod canon adhibeat verbum «sacerdos» et quod verba in iure poenali sint sumenda sensu stricto (c. 18) dubium moveri potest⁵⁴. Tamen ut habeatur prohibitio non requiritur quod peccatum turpe commissum sit a complice, cum iam ordinatus fuerit sacerdos.

Quaeri potest num committat delictum absolutionis complices ille qui fingit absolvere tantum proprium complicem. Responsum videtur negativum: hic enim non dat absolutionem, non absolvit complicem. Ulterius tamen quaeri potest num fictio absolutionis non veniat sub § 2,2 eiusdem canonis, de quo iam locuti sumus. Qui fingit absolutionem «attentat» absolutionem? Non videtur. Fingere absolutionem non idem est ac attentare: Verbum «attentare» praesupponit quod quis ponat actum in se aptum, qui tamen destituitur efficacia propter interventum legis, qui illum reddit invalidum per inhabilitatem personae vel per irritationem ipsius actus⁵⁵. Sensu tecnico et

⁵³ ARIAS, J., in *Código de derecho canonico*, o.c. (n. 32), commentarium in can. 1378.

⁵⁴ In sensu affirmativo, vide CHIAPPETTA, L., *Il Codice di diritto canonico*, o.c. (n. 33); In sensu autem negativo, vide NIGRO, *Commento al Codice di diritto canonico*, o.c. (n. 32).

⁵⁵ Cf. MANZANARES, J., in *Nuevo Derecho parroquial*, o.c. (n. 26), p. 287, modo peculiari, nota 47.

In *Diccionario de derecho canónico*, Universitat Pontificia Comillas, sub voce *Absolución del complice*, scripsimus: «El delito de AC se produce únicamente cuando se viola el cn. 977, o sea, cuando, violando dicho canon, se imparte la absolución al cómplice que confiesa el pecado de complicidad en la materia allí indicada. No se habla, por tanto, ni de fingir de absolver, ni

praeciso «attentatio absolutionis» habetur in casu de quo loquitur c. 977: illa absolutio quae redditur invalida est revera «attentatio absolutionis»⁵⁶. Casus fictionis absolutionis venit potius sub c. 1379, qui agit de simulatione sacramenti. Qui fingit absolvere complicem simulat sacramentum; ideoque «iusta poena» puniri debet, ad normam c. 1379.

P. VELASIO DE PAOLIS CS

tampoco de no absolver, como se hacía en el código anterior, cuando el penitente era inducido directa o indirectamente por el confesor a silenciar tal pecado. Tampoco viene incorporada, como se hacía antes, la interpretación extensiva del Santo Oficio en decreto de 16 de noviembre de 1934. Así pues, el delito de AC adquiere en el Codex una configuración más limitada».

⁵⁶ Cf. MANZANARES, J., in *Nuevo Derecho parroquial*, o.c. (n. 26), p. 287, nota 47.